AD STUDIOSAM

ECCLESIASTICAM UTRIUSQUE CLERI

Juventutem

SERMO PARÆNETICUS

JOAN. JOSEPHI PAULOVICH LUCICH,


J. U. D. Canonici, & Pro-Vicarii generalis Dalmatæ Macarensis, Apostolici Busnensis Delegati, Regiæ Sebethidos Arcadiæ Socii, & ejusdem Academiæ per Dalmatiam Promotoris, & Vice-Custodis.

QUO SERAPHICUS DOCTOR

Divus BONAVENTURA omnium virtutum, præcipuè verò Sapientiæ exemplar imitandus proponitur.

EDITIO TERTIA

post priorem Venetam Anni MDCCC. apud Sebastianum Coletium, & alteram Neapolitanam Anni MDCCCI. ex Regalis Arcadiæ Typographia.





NEAPOLI MDCCCII.

Ex Typographica Regiæ Sebethidos Arcadiæ Officina.

Superioribus annuentibus.

Sanctus Bonaventura natione Italus, Patria Balneoregiensis, Ordinis S. Francisci Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus, & Cardinalis a Gregorio X. creatus, non in Feriis Pentecostes, & in Lugdunensi Concilio, ut multi scribunt, sed ante Concilium, & forte in quatuor temporibus Decembris Anni MCCLXXIII. *&c.* Vir fuit sanctissimus, & doctissimus, & multa scripsit, quæ Romæ edita sunt jussu Sixti V. Pontificis in VIII. Tomos distributa. Obiit vir sanctus Deo, & hominibus amabilis valde, Anno Domini MCCLXXIV. Mense Julio die XV. quæ erat Dominica, sub auroram, in Concilio Lugdunensi, ut in ipso Concilio legitur.

Card. Robertus Bellarminus è Societate Jesu *in Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 212. & 214. Romæ MDCXIII. ex Typographia Bartholomæi Zannetti.*



Equiti præstantissimo

VINCENTIO AMBROSIO GALDIO

Waldorum, & Belfortiensium Comiti, Rhegino, & Altamurensi Patricio &c., Neapolitani Regii Fisci Terræ Sanctæ Patrono, & Sebethiæ Regalis Arcadiæ Principi.

JOAN. JOSEPHUS PAULOVICH LUCICH S. P. D.

Cum ad me compluribus istinc redeuntibus perlatum sit, tertiò meum Parænetícum Sermonem publicis typis mandari, operæ pretium procul omni dubitationis alea fore putavi, ut si tuo præstantissimo inscriberetur NOMINI, & majorem sibi compararet gratiam, & valentior ad invidiæ vim propellendam, & ad illius insidias vitandas continuò evaderet. Equidem hoc meo, qualecumque illud est, Opusculo id mihi laboris sumpsi, ut Seraphicum Doctorem Divum BONAVENTURAM studiosæ Juventuti Regularis Cleri, ac sæcularis instar proponerem, & omnium Virtutum, ac præsertim sacræ Sapientiæ dignissimum admirationis, nedum imitationis exemplar præ cunctorum oculis exhiberem. Quare te oro, obtestorque, PRINCEPS sapientissime, ut libenti animo quodcumque meum hoc munusculum excipias, tuaque sub fide receptum tueare, tuaque qua maxime affulges Doctrina, atque incomparabili qua exornaris pietate, dulcissimaque morum qua adamaris, jucunditate, sarctum tectum à cunctis obtrectatorum venenatis jaculis conserves. Non quidem certè sum nescius, aliquem existere posse, qui id mihi maximè vertat audaciæ, quod VIRO tam amplo, tantisque meritis ornato, donum hoc parvi momenti offerre ausim; verum etiam perbelle scio, gratum animum, beneficiorumque memo-

 rem,

rem, quam splendidiora munera, pluris à te haberi. Adde etiam quod meum animum omni tempore perspectum habueris, meamque, qua te semper sum prosequutus, benevolentiam, diligentiam, reverentiamque etiam cognoveris. Ineptus verò sanè homo haberer, si & tui animi dotes, eximiasque virtutes laudibus extollere coner meis, dum toto Terrarum Orbe dignoscuntur, omniumque mentes suomet fulgore perculerint. Ecquid enim in divinis cunctis, humanisque rebus tuam, PRINCEPS humanissime, Scientiam, Tullianamque eloquentiam memorem? Ecquid magni tui ingenii partus percenseam? Ecquid tuas illas de Jure publico perbelle, sapienterque concinnatas Orationes extollam? Ecquid perdulces, sublimesque tuas poeticas collaudem elucubrationes? Hæc quidem omnia tantum sibi splendoris peperere, ut meis non indigeant laudibus. Illud unum tuum proferam Opus, quod SCIENTIA SCIENTIARUM inscribitur, quo non modo Catholicæ Religionis veritatem magis magisque æterna in basi posuisti, sed etiam spicula cruentissima Impiorum omnium confregisti. Et tuis igitur moribus, & tuis immortalibus plane Operibus, cuncta volitas per ora Virum, ac magnam fulgidamque sedem inter doctos, piosque homines tibi comparasti. Tu Orthodoxæ Fidei, Regiæque Majestatis præclarus extitisti vindex, ac patronus, quo non alter melior, accommodatiorque, ut & plurimorum vecordium frænares licentiam, ac ad meliorem frugem illorum reduceres aberrantem animum. Quæ cum ita se habeant, valde gratulor tecum, intimoque cordis sensu gaudeo. Cura interim, ut te Litterarum bono incolumem serves, meumque hoc Opusculum a te defensum cures; scitoque me nec unquam tuorum beneficiorum immemorem fore, meque ut adhuc fui, semper tibi fore addictissimum. Vale.

Dat. Macarschæ die III. Octobris Ann. MDCCCI.

SERMO PARÆNETICUS.

Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte mostratum est. Exodi XXV. 40.

Vobis hodie, lectissimi Adolescentes, vobis, inquam, hæc verba salutis mittit Dominus ex alto: *Inspice, & fac secundum exemplar; quod tibi in monte monstratum est*. Olim Deus mandaverat Moysi servo suo, ut sibi arcam, tabernaculum, & candelabrum cum cæteris vasis, suaque supellectile faceret: cumque quadraginta dierum spatio, quo in monte Sina diversatus est, cuncta facienda viva Dei voce descripta fuissent, ideam singulorum sensibili forma divinitus traditam simul intueri Moysi licuit, atque hæc ipsa verba audire: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, ut videlicet quæ Dei præcepta clarius aure audierat, ea in typo intuita facilius opere compleret. Quod semel a Moyse in figura, hoc ab unoquoque vestrum nunc exquirit Dominus seipsa. Moyses sonat attractus, seu sublatus de aquis. Et vos quidem vocatione sancta Dei attracti de mundo, sublatique de aquis vehementibus tumescentis Sæculi nequam, plantati fuistis sicut oliva fructifera in domo Domini; inductique in montem sanctificationis, arcæ, tabernaculi, candelabrique spiritualem, in vobis ipsis substructionem excitandam tunc potissimum spopondistis, cum Dominum velut partem hereditatis vestræ in conspectu Ecclesiæ Christi inclamastis. Itaque macti virtute, justificationem, quam cœpistis tenere, ne deseratis, quinimo in vobis metipsis perficite sanctificationem in timore Dei. Verum ut in semitis Domini magis magisque vosmetipsos perficere possitis, Ductorem pariter, ac Doctorem hodie in omnium vestrum oculis ponere constitui, ut nimirum imitanda ipsius vestigia persequentes, recte factorum,

& sapientiæ formam tanti Viri obtineatis. Ne autem diutius vos suspensos teneam de speculo, in quo vos ipsos sedula quidem frequentia considerare exopto, sanctimoniæ simul, & sapientiæ prototypum vobis in Seraphico Doctore Divo Bonaventura exhibeo. Præclare olim de eo effatus est Joannes Gersonius inquiens, quod erat lucerna ardens, & lucens: Sed vos, præstantissimi Adolescentes, hodierna die brevi quodam intuito in eo multo majora contemplabimini. Dum ergo in Bonaventura sanctissimo mysticam Moysis arcam extitisse comperietis, quid superest, nisi ut ab initio proposita sacræ Scripturæ verba quasi vobis divinitus dicta repetatis: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est?*

Ingredimini, electi Ecclesiæ filii, ingredimini spiritu mentis vestræ in atrium sanctum sermonis Domini, & videte qualiter sanctissimus Ductor, & Doctor vester Bonaventura arca Dei fuerit, ut eam in corde Bonaventuræ perbelle constructam, eique simillimam in vobismetipsis exædificetis. Propitius sit mihi Dominus, visitetque me in salutari suo, ut recti, verique annuntiator ad vos missus, tanto argumento digna de sacro Scripturarum thesauro depromam, vosque Seraphici Bonaventuræ bonos æmulatores, Deo adjuvante, efficiam. Probe nostis, quia divinum Exodi Librum, ut arbitror, legistis, arcam de lignis Setim auro obductis compactam, auro pariter intus & foris deauratam, corona, ac quatuor aureis circulis, & vectibus instructam, propitiatorio cum duobus Cherubim desuper contectam, solas Decalogi tabulas continuisse. Arca ex Sanctorum Patrum Gregorii Magni, & Cyrilli sententia Christum ipsum præsignat: de cujus quidem plenitudine cum Seraphicus Doctor abundanter acceperit, numquid non Christi gratia plenus, arcam, scilicet Christum in se reipsa habuerit? Adeo erat Bonaventura noster in amore, & deliciis Christo, ut non satis habuerit

Je-

Jesus in eo per inhabitantem Spiritum suum sanctum manere, sed reali sua ipsius assidua præsentia tunc potissimum dignum declaravit, cum quadam die celebrationi Missæ adstantis in os castissimum sub Eucharisticis speciebus mirabiliter involavit. Arca etiam, teste Divo Gregorio, sacerdotale cor significat: quæ ideo de lignis Setim auro obductis compacta, intus forisque deaurata erat, quia Bonaventuræ anima, tamquam vivum Dei templum intrinsecus, & extrinsecus eximia in Deum & proximum charitate fervebat. Et sicut imputribilia ligna Setim, ut ait Doctor maximus Hieronymus, incredibilis magnitudinis, fortitudinis, pulchritudinis, & lævitatis raritate pollebant; ita cor purissimum Bonaventuræ, Dei & proximi flagrans amore, vere de ligno Setim auro obductum, Moysis arcam mirifice expressit: nihil enim in ejus vitæ gestis recurrit, quod velut quidam congestus, & accensus ignis non exurat. Hinc quia in charitatis schola didicerat quotidie in dilectione proficere, propterea Seraphicis ardoribus in toto vitæ cursu noverat magis magisque exundare. Dum ergo Bonaventuram Seraphici Doctoris titulo antonomasticè exornatum omnes ubique prædicant, quid, nisi præcellentem ipsius in Deum, & proximum charitatem laudant? Bene autem & corona arcæ superposita Seraphico Bonaventuræ congruit, quia de mundo, de diabolo, de carne, deque seipso mysticus Rex, & Sacerdos viriliter triumphavit. Annuli vero & vectes arcæ sicut dona Spiritus sancti designant, ita cor flagrantissimum Bonaventuræ incredibili mobilitate, & agilitate ad omne bonum præditum in anima sancta sua habitaculum Spiritus Sancti indesinenter fuisse probat. Aurei quatuor annuli arcæ exprimunt quatuor dona, quæ ad intellectum pertinent, videlicet sapientiam, intellectum, scientiam, & consilium. Duo autem vectes reliqua tria dona repræsentant, quæ sunt pietas, timor, & fortitudo, quibus voluntas in actibus suis perficitur, &

roboratur. Vectes annulis arcæ inserebantur, quia anima Spiritus Sancti donis repleta parum, vel nihil solo intellectus motu, & illuminatione proficit, nisi ipsa voluntate moveatur. Quæ quidem dona Sancti Spiritus numquid Bonaventuræ nostro deesse poterant, qui ejusdem Spiritus Dei fructibus redundabat? *Fructus autem Spiritus*, ut ait Apostolus, *est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Sicut igitur lucis radii ex sole oriuntur, & sicut ex arbore rami procedunt; ita ex donis fructus Sancti Spiritus promanant. Fusiora vitæ Seraphici Doctoris acta testantur, omnes omnino divini Spiritus fructus in Bonaventuræ sanctissimi cor illapsos, in seraphicis ipsius moribus superno sane virtutum fulgore se prodidisse. Nonne Bonaventura noster insigni modestia præluxisse dicendus est, præsertim cum Archiepiscopatum Eboresem in Britannia sibi ultro a Clemente IV. oblatum invicta animi fortitudine recusaverit, affirmans se tanto dignitatis fastigio prorsus indignum? De ipsius vero in regendo comitate, & lenitate quid dicam? In more positum habebat benignitate vere paterna ab Seraphici sui instituti semita aberrantes excipere, cum in se reversi proprios errores, & infirmitatem noverant humili confessione expiare. Etiam eos, qui monachum exuti, suum deseruerant Ordinem, si vera pœnitudine ducerentur, clemens piusque in gratiam recipiebat. Satis demum sit illud unum ex ejus vitæ fastis depromere, quod Petrus Tarantasia Cardinalis & Episcopus Ostiensis, qui postea Summus Pontifex creatus, sese Innocentium V. nominavit, Bonaventuram nostrum funebri oratione laudans, inter alia, quæ in tanti Viri laudem recensuit, hoc potissimum in eo fuisse ostendit, quod Seraphicus tanta benignitate, comitate, modestia, lenitate, aliarumque virtutum decore præstiterit, ut omnes suo sibi demeruerit aspectu, omnesque idcirco ei

cesse-

cesserint, monitisque ejus volentes, libentesque semper obtemperaverint. Neque rem memoratu dignam puto hic loci prætereundam. Refert doctissimus vir Petrus Galesinus factum, quo satis patet, quantæ Doctor Seraphicus ob insignes animi virtutes in Ecclesia Dei, dum vivebat, fuerit opinionis, & auctoritatis. Ait ergo, mortuo Clemente IV., Pontificiam Cathedram tribus annis vacasse, quod septem decemque Cardinales Viterbii ad eligendum novum Pontificem congregati votis discreparent; denique eos rem totam Bonaventuræ solius arbitrio reliquisse, sic ut ipse quemcunque hac dignitate dignum judicasset, quamvis etiam de se ipso idipsum sentisset, ab omnibus acceptus confirmaretur; additque adeo candide sincereque egisse, ut omissis privatis quibuscumque affectibus, postpositaque omni personarum acceptione, atque præsentium Cardinalium respectibus, quibus excæcari poterat, elegisse Theobaldum Vicecomitem Placentinum, & Archidiaconum Lessanum, virum religiosissimum, celeberrimumque, atque tunc temporis absentem, qui confirmatus in suprema sibi collata dignitate, sese Gregorium X. appellavit.

Jam vero Bonaventuram nostrum arcæ similitudinem in se magis magisque exprimentem, Sanctique Spiritus donis repletum uberius demonstraturus, dum in eo splendidissimum sapientiæ donum extitisse perspexeritis, ne unum quidem ex septem Spiritus Sancti donis ei defuisse mecum affirmabitis. Septem dona Sancti Spiritus non secus ac scalam quamdam ex septem gradibus efformatam, atque e Cælis ad nos usque divinitus demissam, quæso, cogitate. Hanc nobis simul cum sanctificante gratia per habitualia Spiritus Sancti dona divina porrigit clementia, ut nimirum a virtutibus, quibus docemur recte operari, ad eadem dona pervenientes, expedito rapidoque cursu perficiamus viam salutis, quam ut gigas exultantes aggredi debemus ad percurrendum in

eo,

eo, qui se dicit esse viam, veritatem, & vitam nostram. Fingite itaque animo, vos hanc scalam mentis oculis intueri, velut illam, quam Jacob in somniis vidit, stantem videlicet super terram, & cacumine suo Cælum tangentem. Si gradus septem ab summitate, quæ Cælos tangit, recensendos suscipitis, a primo sapientiæ gradu ad septimum timoris Domini gradatim vos oportet descendere: si vero ab imo ad summum scalæ conscendere vultis, opus est, ut a gradu timoris Domini ad septimum, qui sapientiæ est, properetis. Atque hæc cunctis a terrenis ad cælestia tendentibus via amplectenda suadetur, ut incipientes ascendere ab infimo gradu timoris Domini, usque ad supremum sapientiæ donum perveniamus. Qui ergo ad septimum scalæ gradum, nempe sapientiæ donum conscendisse deprehensus fuerit, illum procul dubio cæteros inferiores donorum gradus singillatim pertransiisse oportuit.

Porro hunc viæ cursum etiam Bonaventura noster tenuit, qui de uno ad alium donorum Spiritus Sancti gradum proficiens, supremum tandem sapientiæ comprehendit. Qua ratione autem Doctor sanctissimus ad sapientiæ donum pervenerit, audite. Optime noverat stabile fundamentum, seu veræ sapientiæ initium esse timorem Domini. Quia ergo didicerat casto timore Deum indesinenter timere, ideo de timore ad pietatem, de pietate ad scientiam, de scientia ad fortitudinem, de fortitudine ad consilium, de consilio ad intellectum, de intellectu ad sapientiam proficiens meruit pervenire. Felix quidem hæc ei sors præsertim obtigit, quia multa sedulitate cor suum ab terrenis affectibus repurgavit. Hinc sacro novi Testamenti jure filius adoptionis Christi effectus, conturbernio divinæ sapientiæ dignus evasit: quam castissime, suavissimeque amplexatus, ex mysticis ipsius uberibus plus sibi mellis & lactis suxit, quam postea præcellentissimis suis scriptis no-

nobis eructavit. Verum sermone per humum repente quis unquam amplitudinem sapientiæ in corde suo reconditam verbis exæquabit? Profecto palpitar acies oculorum meorum, non secus ac cum solem intueor, dum splendidissimum tantæ sapientiæ Sidus vel ipsa cogitatione aspicere cogor. Adeptus namque ex divinæ gratiæ prærogativa arcanum illum per unionem voluntatis cum Deo complexum, intellectum habuit ita voluntatis inhærentis sensu edoctum, ut hac animæ facultate altius potuit divina percipere, quam ea ipsomet intellectu contemplari. Bonaventura ergo noster quantus impræsentiarum obtutibus nostris observatur, totus, velut aurum ignitum splendore, superna sapientia renidet. Hinc optime assimilatur Propitiatorio cum duobus Cherubim (quos Patres subinde Seraphim vocant), quia sicut Cherubim sapientiæ symbolum, Propitiatorium vero Dei oraculum repræsentat; ita Bonaventura sanctissimus divinæ sapientiæ dono cumulatus, Propitiatorii, & Cherubim arcæ nomen mirifice portat. Nonne Doctor noster, quot nobis Cherubica simul, ac Seraphica scripta reliquit, tot divinæ sapientiæ oracula fudit? In cujus seraphico pectore quia spiritalis doctrina viguit, procul dubio testificatio velut in arca jacuit.

De cujus quidem ingenti sapientiæ dono quid senserint eruditi, summique viri, breviter commemorare placet. Atque ut ad vos ipsos in amore sapientiæ plusquam vehementissime inflammandos, ex inimicis etiam, & de manu omnium, qui oderunt veritatem, liceat exquirere, nos Bonaventuræ sapientiam ipso sacrilego unius Lutheri ore vobis imprimis prædicamus. Etenim supernum sapientiæ donum, quod in eximiis Bonaventuræ operibus refulget, perpendens Lutherus, frequenter eum *Virum præstantissimum* vocitabat. Verum nebulonum istiusmodi laudes Bonaventuræ nostro datas ad laudatores ipsos lubenter amandamus: non enim blateronum

garrulitate indigemus, qui in texendis hodiernis laudibus præstantissimorum, gravissimorumque virorum centenis testimoniis abundamus. Ergo ducamus initium a piissimo Petro Ribadeneira, qui de Bonaventuræ operibus cælesti sapientia refertis sic eloquitur: *Doctrina S. Bonaventuræ neque sicca, neque frigida est, sic ut intellectum tantummodo pascat, sed vivi plena succi, flammea, & accendendis amore divino cordibus idonea. Hinc non immerito dictus est Doctor Seraphicus: Seraphim namque ardent, & inflammant*. Etiam eruditissimus Joannes Gersonius de Sancti Bonaventuræ sapientissimis scriptis disserens ait: *Nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior, atque suavior pro Teologis sit doctrina*. Et alibi dicit: *Sint alii Doctores, qui dicantur Cherubici, hic autem verissimo nomine Seraphicus simul & Cherubicus, quia inflammat affectum, & erudit intellectum, reducit, & venit ad Deum per amorem*. Item alio in loco subdit: *Singulariter inter omnes Doctores Catholicos (pace omnium salva), videtur idoneus, & securissimus ad illuminandum intellectum, & inflammandum affectum*. Insuper clarissimus Abbas Joannes Trithemius Divo Bonaventura, ejusque sapientiæ sublimitate dignum in hæc verba texuit elogium. *Multi*, inquit, *doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura autem & multos superavit, & paucos, dum ejus doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam*. De Bonaventuræ sapientiæ idem paucioribus quidem, sed fortioribus sane verbis confirmat Papa Sixtus IV. in pontificio suo diplomate, quo eum Sanctorum syllabo accensuit. Idem testimonium Seraphico Doctori nostro reddidit etiam Sixtus Pontifex Maximus hujusce nominis Quintus hisce ipsissimis verbis: *Fuit in S. Bonaventura id præcipuum, & singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia præstaret; sed divina quadam animos*

per-

permovendi vi excelleret. Sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, & in intimos animi recessus illabatur, ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compugnat, & mira devotionis dulcedine perfundat. Quam sane gratiam in ejus ore, & calamo diffusam mirans prædecessor noster Sixtus IV. Pontifex, illud dicere non dubitavit: Spiritum Sanctum in eo locutum videri. Hinc est ergo, quod qui ab inhabitante Sancto Spiritu arca sapientiæ effectus erat, dum viveret, mortuus pariter divinitus induisse visus est incorruptionem in capite, & in corde, idque ex eo potissimum, quod sapientiæ dono tum arserit in corde, tum luxerit in capite. Sane res admiranda, si recte perpendatur, fuit, nec sine magni significatione mysterii esse potuit, ut sexaginta scilicet centumque annis ab ejus obitu repertum fuerit ejus sacrum Caput adhuc pilosum, lingua, labris, dentibusque prorsus integris, non secus ac si spiraret, & viveret, visumque præcipue cor ipsius adeo incorruptum, ut nihil omnino tabis, nihil labis exhiberet.

Atque hæc, Adolescentes lectissimi, in Seraphici Doctoris, Doctorisque nostri sanctissimi laudem, & ad vestram doctrinam hodierna die qualitercumque dixisse sufficiat, ac singillatim unicuique vestrum jam proposita sacri Textus verba iterare: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Desideratisne desiderio ad instar Bonaventuræ sanctissimi arca sanctificationis, & sapientiæ fieri? In sanctitate, & justitia servite Domino Deo vestro soli omnibus diebus vestris: servate mandata, & testimonia Domini. Fideles in minimis, ite de virtute in virtutem quotidie; & implebimini Spiritu Sancto, qui docebit vos omnem veritatem, si mundi eritis ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Tamquam a facie colubri fugite peccatum; quia sapientia non habitat in corpore subdito peccatis.

tis. Bonaventuræ nostri angelicæ vitæ innocentiam imitamini, in quo ex celeberrimi Alexandri Alensis sæpe sæpius repetito effatu, Adam peccasse non videbatur. Invocate, & veniet in vos Spiritus sapientiæ. Sapientiam postulate a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur vobis.

Quod si de libro solliciti, quæsieritis, quis ille sit, qui vos aqua sapientiæ salutaris potabit? attendite. Utebantur olim familiariter invicem secum Seraphicus Doctor Bonaventura, & Angelicus Doctor S. Thomas. Hic itaque semel conclave sancti Bonaventuræ ingressus, expetit ab eo sibi exhiberi libros, quos identidem Sanctus Bonaventura in studiorum suorum adjutorium adhibebat. Confestim vir sanctus exibuit ei pauculos aliquot, quos habebat in promptu. Verum Sanctus Thomas rursus instituit, ursitque, rariores sibi illos codices, magisque secretos prodi, è quibus tam grandia, tamque sublimia sapientiæ dogmata eruebat. Tum enim vero Bonaventura noster Christi Crucifixi imaginem ex adverso positam Sancto Thomæ ostendit, dixitque: *Ecce, Pater, librum, qui mihi cuncta, quæ scribo, suppeditat. In hujusce Crucifixi plantis, & Missarum Sacrificiis, quibus deservio, majus ego lumen haurio, quam reliquis omnibus litterarum exercitiis.* Forsitan hic omnium librorum Liber convolutus cuipiam videri primo intuitu poterit; quem quidem si terret horror aperire Librum hunc signatum sigillis quinque sacratissimorum vulnerum, & videre illum non scriptum litteris, sed sanguine conspersum, habeat saltem in manibus nostri Seraphici Ductoris, & Doctoris opera: de quibus assidue studioseque volutandis extat pulcherrimum Joannis Trithemii hoc ipsissimum monitum. *Si ergo*, ait, *& doctus vis esse, & devotus, illius* (scilicet Bonaventuræ) *opusculis esto intentus.* Præ cæteris, Adolescentes præ-

stan-

stantissimi, nocturna diurnaque versate manu ipsius auream Opellam, quæ *Dicta salutis* inscribitur: ea enim satis valida ad pietatem incitamenta ministrat, docetque qua ratione oportet declinare a malo, & facere bonum. Etiam ipsius *Breviloquium*, & *Itinerarium* frequenti meditatione percurrite: nam hæc duo Seraphici Doctoris Opuscula tanta sunt arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil. Primum quidem hominem ducit ad cognoscendum Deum, indeque deducit ad alias veritates sub Deo ipso creditas, & habitas. Aliud contra progreditur a creaturis ad Creatorem, lectoremque pium evehit ad anagogicos utque excessus; & hic merito appellatur Christianorum omnium Theologicus Tractatus. Quicumque horum librorum lectioni assuetus fuerit, ad aspectum Libri librorum amplius minime pavebit, bene vere exultatione exultabit inquiens cum Paulo: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.*

Librum ad hauriendam sapientiam accepistis: nunc tandem discendi formulam ex ipso divino Sapientiæ Libro recipite in hæc verba: *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* Memoria vitæ, & sapientiæ Ductoris & Doctoris Seraphici Bonaventuræ nostri sanctissimi nunquam vobis excidat, semperque resonent in auribus vestris, velut mellifluo Bonaventuræ ore prolata vobis, verba illa: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* De cætero, Adolescentes spectatissimi, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, atque in his toti estote. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in

Sera-

Seraphico Ductore, & Doctore vestro, hæc agite, & virtus Altissimi obumbrabit vos, & Spiritus Sanctus cum omnibus donis, & præcipue cum dono sapientiæ, erit in vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

FINIS.

